


BIBL:
HUNGARICA
HALENSIS.





f
 1. 0
 2. 2
 3/4
 5.
 6, 12
 7.
 8.
 9. C
 10/11.
 12
 13.
 14.
 15-1
 18.
 19-2
 21.
 22.
 23/4.

LIBRARY
 OF THE
 UNIVERSITY OF
 SACHSEN-ANHALT
 MAGDEBURG



Scripta publica Viteb. 1768

1. Bose, Ad. J.: differentia 1768
2. Hiller, J. F.: de cautionibus 1770
- 3/4. Tempel, J. C.: monumenta 1781/2
5. Boehmer, J. R.: Species 1788
- 6, 12. " " de plantis 1. 2. 1789/90
7. " " Dispositio "
8. Leonhardi, J. S.: Commentatio 1790
9. Poschwitz, J. F. S.: Semilogia "
- 10/11. Nuernberger, C. F.: apoplexia "
12. " " "
13. " " criteria "
14. " " de militibus 1793
- 15-17. Schlausner, J. F.: Observationum p. 2-4. 1796-98
18. Titius, S. K.: Interpretatio 1797
- 19-21. Schlausner, J. F.: Sylloges p. 1. 2. 3. 1799-
22. Kreyzig, F. L.: Observationes 1801
- 22^a. " " peripneumonia "
- 23/4. Ermel, J. S.: Acta (Monumenta) 1800/01

Scripta publica Lipsiensia 1622-1799

25. Hennemann, Z.: Eubaeurotopia 1622
26. Calovius, A.: loci 1670
27. De Rom. ecclesia 2. 1768
28. Scharfenberg, J. S.: de consensu 1780
- 29-36 Erasmus: Autographa 20, 21, 23, 25-29. 1795-99

Scripta publ. variarum Academicarum.

- 36a. Stahl, D.: Positiones. Frsf. 1619
- 36b. " " Duodenarius " 1620
37. Neander, Gg.: Παράρτημα " 1621
38. " Chr.: Progr. " 1622
39. Catalogus praelectionum Hal. 1769
40. Mejer, Gerh.: labor Hamb. 1697

41. Quitschreiber, Gg.: praecpta. Jenae 1606
42. Weigel, E.: Methodus " 1673
43. Meditatio natalitia " 1735
44. Cellarius, L. F.: Quaestiones. " 1776
45. Schwarz, G.: prolegomena. Rintelii 1771
46. Quistorp, J. N.: Lutheranismus. 1704
47. Dannhauer, J. K.: Colluvies 1665



VI 216
(11)

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and mostly illegible due to fading and the texture of the paper. Some words are difficult to discern but appear to be names and possibly dates or numbers.



19.
22



ΕΥΔΑΙΜΟΝΟΛΟΓΙΑ

Sive

DISSERTATIO ETHICA

de

SVMMO BONO

Quam

D. T. O. M. A.

PRO LOCO

IN ILLUSTR. ACADEMIA LIPSI-
ENSI CONSEQUENDO

*Ad publicam & placidam disputati-
onem proponit*

M. ZACHARIAS HERMANNUS

Vratislaviensis Silesius

Respondente

MELCHIORE EXNERO GRYPHORINO

Silesio Philosophiæ Candidato

5. Decemb. horis ante- & pomeridianis.

Anno M. DC. XXII.

LIPSIÆ,

Excudebat JUSTUS JANSONIUS Danus.

a 19 Puz

*Admodum Reverendo, Excellentissimo
Clarissimo Viro.*


DN. VINCENTIO Schmuck
SS. Theol. D. & P. P. Eceles. Lips. Superint.
& ad D. Nicol. Pastori, ac Consistorii Ecclesi-
astici Asses. Academiae Decemviro, & Episco-
pat. Misn. Canon. &c.

*Patrono & Promotori meo omni obser-
vantia studio colendo*

Disputationem hanc publicam, in mei com-
mendationem & promotionem, debita
animi submissione

inscribo & dedico

M. ZACHARIAS HERMANNUS.



συν ἰσὶ θεῶν ἀνέλκυνται.



licet ea sit universi hujus conditoris bonitas & benignitas, ut omnibus mortalibus *felicitem* internâ quâdam naturæ commotione appetere, concesserit: attamen quosdam tanta invasit stupiditas, ut beatitudinem hanc suam negligentes, vel postponentes, nescio quos

raptus Enthusiasticos expectent, deq; suo fine non multum solliciti esse videantur: sed assidere, ut rusticus ille Aesopicus, qui ut apud Horatium 1. epist. 2.

— — — — — *expectat dum defluat amnis: & ille
labitur: & labetur in omne volabilis avum.*

Nos ergo aliud edocti, scimus, neminem rectè vivere qui finem actionum suarum ignorat. Vita enim proposito fine carens, certissimum est fatuitatis argumentum, evidentissimum inscitiae monumentum: e contra hunc quando tenemus, tum facilè id quod oportet, mediante virtute, assequimur: instar enim sagittariorum signum habemus, ad quod collimemus, portum ad quem contendamus, metam, in quâ acquiescamus. Involvimus quippe nos in studia humanitatis & pietatis, propter cognitionem veri, cognitionem veri, quærimus propter actionem boni, actionem boni volumus propter nostram felicitatem, hanc velle debemus propter DEI gloriam. Qua de causâ ope immensi boni, sine quo nil boni dicere valeamus, absq; ulteriore præfatione ad rem ipsam accedamus, & propositum nostrum felici pede aggrediamur. Sit ergo

A 2

THE



T H E S I S I.

PRIVS QUAM AVTEM AD QVÆSTIONEM
 quid sit summum bonum, & in quibus natura ejus
 consistat, deveniamus, præmittenda est quaestio an sit sum-
 mum hominis quoddam bonum seu ultimus finis? Et hu-
 jus *ἡ ἀπορία* merito hic adornanda ἐστὶν ἡ ἀπόρις: si enim non est sum-
 mum bonum, frustra de eo quaritur. Non entis enim non sunt ulla
 actiones vel affectiones. Vana ergo spes nostra, vanus conatus. Ab-
 sit. Esse ergo finem quendam ultimum qui summum dicitur bonum
 probamus hac ratione: qui finis propter se expeditur, & omnia pro-
 pter illum, ille est ultimus. Id enim in re qualibet est summum, in
 quo cogimur subsistere. At in actionibus humanis talis datur finis.
 Ergo. Et probatur si enim non esset, appetitus humanus non haberet,
 in quo acquiesceret: sed progredieretur in infinitum. At ab infinito
 abhorret natura. Aristot. 1. de generat. 1. c. 1.

I I.

Esse ergo homini hac etiam in vita propositum quoddam bo-
 num, ad quod sua debeat referre cogitata, ex dictis manifestum:
 sequitur nunc ut hujus naturam diligentius paulo consideremus:
 idq; sit perpendendo hujus partim essentiam, partim accidentia.

I I I.

Essentia explicatur tum de definitione, tum divisione.

I V.

Veteres olim bonum definiabant, id quod omnia appe-
 tunt. Quam definitionem Aristoteles statim in initio lib. 1. Eth.
 Nicom. proponit, eamq; approbare videtur. Hinc aliqui conclu-
 dunt, idem formaliter ἐστὶν οὐκ ἔστιν esse bonum & appetibile. Ve-
 rum hoc ut falsum, & ex definitione hac minimè resultans, rejici-
 mus, & distinguimus inter bonum, & appetibile, ut inter antee-
 dens & consequens, ut inter causam & effectum, & omninò ut in-
 ter rem lucidam & coloratam & inter visibile. Ut igitur se habet
 visibile ad lucidum & coloratum, ita & appetibile ad bonum, &
 siend

sicut visibile non exponit formalem rationem lucidi vel colorati sed
aliquid explicat, quod non dicit coloratum & lucidum, quatenus
tale: ita quoque appetibile non exponit formalem rationem boni, sed
aliquid formaliter dicit, quod non dicit bonum, quatenus bonum.
Ut ergo ad rem deveniamus, definitio hac, quam habet Aristoteles
d. l. non desumitur à priori sed posteriore; quia ratio appetibilitatis
posterior est quam ratio boni. Et omnes res appetunt bonum, siqui-
dem appetitus propriam est, ferri in bonum. Ergo inquis, nunquam
malum appetitur? Nunquam ut malum sed semper sub specie boni.

V.

Magis propriam & ad propositum nostrum rectius accom-
modatam summi boni definitionem proponit Philosophus 1. Eth. Nicom.
c. 7. ibi: εὐδαιμονία ἐστὶν ἐνέργεια τῆς ψυχῆς λογικῆς κατ' ἄρε-
την ἐπίσην καὶ τελειοτάτην ἐν βίῳ τελείῳ, h. e. summum bo-
num est operatio animæ rationalis secundum virtutem
optimam & perfectissimam in vitâ perfectâ.

VI.

Hac in definitione occurrit tum definitum tum definitio
examinanda.

VII.

Definitum est summum bonum. Hujus videnda tum ho-
monymia tum synonymia.

VIII.

Homonymia: tripliciter sumitur vocabulum boni: 1. tran-
scendentaliter, & est affectio entis & omnibus, quæ entia sunt,
competit. 2. relativè, quatenus est congruentia quadam natura &
perfectio cuiusq; entis quæ tale, producta ex ijs, quæ requiruntur ad
finem istius entis. 3. moraliter, quatenus est perfectio actus, cum
rectâ ratione, & hac acceptio hujus loci propria est. Deinde scien-
dum, bonum aliud esse ἀπλῶς & per se, aliud φαίνομενον & ap-
parens. Illud rursum est vel imperfectum, vel perfectum, vel per-
fectissimum. Imperfectum nunquam propter se appetitur, sed

A 3

semper

semper propter aliud quoddam commodum, quod in se continet, ut pecunia, divitia, opes. Perfectum partim propter se, partim propter aliud, ut virtus, honor, sanitas, doctrina, voluptas. Perfectissimum, quod tantum & semper propter se, nunquam propter aliud expetitur, & in ultimâ classe hac, hoc quoque bonum, de quo agimus, reperire est.

IX.

Synonymia exprimitur differentibus quidem, sed tamen idem significantibus nomenclaturis. 1. dicitur εὐδαιμονία ἀπὸ τοῦ ἀγαθοῦ δαιμονος, à bono demone lib. 2. Top. c. 6. 2. εὖ ζῆναι bona sive recta vita. 1. Eth. Nicom. 8. 3. εὐπραγία bona actio à benè agendo. 4. τὸ ἀγαθόν, quod summa in eo consistat bonitas, & felicitas, 5. μακαρισμός beatitudo. 7. Eth. Nicom. cap. 11.

X.

Definitionem quod spectat, quàm ex summo illo rerum omnium iudice (ut vocat Aristotelem Lipsius lib. 5. de civil. doctrin. c. 7.) Philosopho nostro hic posuimus: ea evolventa venit: ubi singula verba singula pondera. Resolvitur autem in genus & differentiam.

XI.

Genus est ἐπέγεια sive operatio vel actio. Beatitudo quippe est ultima hominis perfectio: Finis enim ejus, at finis ejus, cujus est finis, est perfectio: unumquodque verò tum perfectum est, cum in actu existit, propter actum enim habitus, at praestantius est illi cujus gratia aliud est. Ultimus verò actus in ijs, qui operationem sibi vendicant, est ipsa operatio. Quin & hoc addamus, in eo summum bonum collocandum est, per quod intimius cum DEO nectimur & copulamur; at per actionem propius & firmitus nectimur cum DEO, quàm per habitum. E. vide fusius Piccolominium grad. 9. Philos. Mor. c. 12.

XII.

Differentiae loco tria ponuntur. 1. quod sit actio, non corporis sed animae, & non vegetantis aut sentientis, sed ratio.

rationalis. Nihil enim absurdius, quàm bruta in humana evdici-
novius societatem adsciscere. 2. quòd sit actio secundum vir-
tutem, id est tanquam ad regulam & normam virtutis, & sic non
sufficit virtuosa agere, sed virtuosè agere. Et proinde non est fe-
lix, qui ex defectu cibi aut potus est temperans, sed qui in rerum
abundantia secundum virtutem ijs utitur. Hinc etiam in definitio-
ne vocabulum, perfectam, additur, per quod virtus non formaliter
& abstractè consideratur, sed ratione sui subjecti, quatenus vi-
delicet illa actio secundum virtutem in homine iam sit studio & la-
bore perfectè & completè acquisita, multisq; actibus corroborata. 3.
quòd non contingat quolibet tempore aut modo, sed re-
quiratur vita perfecta, ad quam pertinet ætas & diuturnitas
temporis: quia sicut non una hirundo facit ver, sic nec una actio
facit beatum.

XIII.

Et hætenus Definitio: sequitur Divisio.

XIV.

Dividitur summum bonum in absolutè & ἀπλῶς sum-
mum, vel secundum quid & ad hanc vitam restrictum. Bo-
num hominis absolutè summum est unio cum Deo sive
fruitio DEI, secundum omnes hominis facultates, cuius
contemplationem non Philosophus sed Theologus instituit, ideoq;
hoc ad illorum scholas ablegandum.

XV.

Summum bonum hominis secundum quid sive ad hanc præ-
sentem vitam restrictum, est, de quo in Philosophiâ agitur: & hoc
utrum sit à DEO, an à fortuna vel homine quæritur? Rem
breviter ita decidimus: causa est duplex universalis & remota,
particularis & proxima. Summi boni civilis causa remota est
Deus, proxima est homo, fortuna verò ex causarum numero
planè eijcitur. Dat ergò DEVS hoc summum bonum, sed non
nisi mediantibus laboribus & industria hominum. Nec enim colum-
ba assa-

be assata Thersita Homericò in os involant, sed laboribus sua bona
vendit Deus, qua causa non sunt contraria sed subordinata.

XVI.

Porro summum hoc bonum ad presentem statum restrictum
duplex est vel theoreticum vel practicū: qua dua ἐν δαίμωνι
distincta sunt, quia 1. diversa habent fundamenta, quibus fun-
dantur. Theoretica enim innititur virtute intellectuali, Practica
moralī. 2. ratione objectorum etiam differunt: theoretica enim
pro objecto habet res immutabiles & aternas, Practica res mutabi-
les. 3. sunt etiam in diverso subjecto: illa enim in parte ani-
ma γνωσκῆ, hac in ὀργανῆ. 4. finem non obtinent commu-
nem, illius enim finis internus est in contemplatione, huius in
actione. Et sanè licet distinctæ ex jam dictis sint, non tamen rectè
dicuntur contrariæ: sed amica hic consensus, ita ut ex harum con-
iunctione, summum bonum absolute consurgat & oriatur.

XVII.

Est autem summum bonum speculativum sive theoreticum
functio animæ rationalis secundum perfectam virtutem
intellectualem. Hac autem sapientia est, qua bonum hoc theo-
reticum moderatur, proindeq; solâ contemplatione terminatur, ser-
piter narum enim rerum consideratione intellectus occupatus, & qui-
escens, quasi extra se rapitur, & cum rebus consideratis veluti
unum fit.

XVIII.

De hoc bono utrum rectè agat Aristoteles in Ethicis
& Politicis, à quibusdam dubitatur: verum benè res se habet:
Aristoteles quippe ideo agit hic de summo bono theoretico, ut ex col-
latione utriusq; theoretici scilicet & practici, huius nempe civilis,
natura rectius intelligatur. Deinde hoc etiam sciendum, summum
bonum politicum ordinari ad theoreticum. Vt igitur omni-
bus hac ordinatio sit nota, de utroq; hic agere necesse habuit Phi-
losophus.

19. Ergo

X XIX.

Ergò, inquis, quia Practicum bonum sine theoreticò explicari commodè nequit, hoc illo erit præstantius? non quidem omninò abnego: quòdcunq; enim hominem ut hominem perficit, id quoq; homini erit magis bonum, alijsq; quacunq; etiam ea sint, præferendum. Jam collationem institue inter summum bonum theoreticum & practicum, & minimè negabitur, id hominem perfectiorem reddere, quàm hoc. Distinguendum tamen est: aut enim respicimus humanam societatem, aut hominis conditionem, si humanam societatem, utiq; præstantius est bonum practicum quàm theoreticum: probo, quia societas humana sine speculationibus esse potest, at sine virtute morali, & imprimis justitiâ consistere nequit. Hac enim ordines instituit, contractus servat æquales, legesq; omnibus præscribit: sine hominis conditionem privatam respicis, utiq; theoreticum præstantius est practico, quia præstantiores edit operationes, operatio autem de cujusq; essentia dignitate semper testatur.

X X.

Summum bonum practicum est functio animi secundum virtutem perfectam moralem, & hoc hujus propriè est loci, & ita dicitur à formali suâ ratione, quod totum in praxi seu actione consistat, ita ut licet non semper agat, agere tamen debeat: hoc moderatur & gubernat virtus ὄλη sive justitia universalis, pro objecto habet τὰ πρακτὰ sive res agendas in hac vita & societate humanâ, eaq; ut sarta tecta conservetur, unicè laborat.

X X I.

Non ergò summum hoc bonum consistit in voluptatibus, & licet à voluptate Philosophicâ nempe illâ verâ & honestâ, homines denominantur beati, non tamen voluptas illa est beatitudo, sed quia hujus individua comes, non secus ut ex præsentia fumi ignis præsentiam rectè infero & concludo, ita ex hac summum bonum.

B

22. Non



XXII.

Non in honore, quia summum bonum debet esse proprium illius qui possidet. At tale quid honor non est, non enim honorati, sed honorantis dicitur, partim quia actio quadam honorantis est, partim quia magis esse videtur in potestate honorantis, quam honorati, quippe quorum ille agentis, hic patientis rationem in honoris collatione obtinet: Deinde, quia honoris & gloria abusus esse potest, unde est inanis gloria, quae juxta Hieronymum inordinatus animi motus dicitur, quo quis propriam desiderat excellentiam, ut aliquis honore præcellat: de qua tenendum est illud Chrysostomi: si gloriari cupis, gloriam despice, & omnibus eris gloriosior.

XXIII.

Non in virtute aut habitu virtutis, idque probatur, quia ex beatitudine semper aliquid boni promanat. At non ex habitu virtutis. Probo: nam habitus etiam in dormiente esse potest, in otioso, & nihil agente, item in misero & calamitoso, aut alio aliquo malo afflicto. Deinde summum id est, quod in se est perfectum. Perfectum autem id cui nihil potest addi. At tale quid non est virtutis habitus, quippe cui ut actui primo superadditur actus secundus, per quem perficitur, ideoque, quia potestatem includit, rectè dicitur quod aliquid imperfectè includat, quod per actum hunc secundum moveatur.

XXIV.

Non in contemplatione communis ideæ omnium bonorum: & est ratio, quia summum bonum politicum debet esse ἡσπτόν καὶ πάντων: idea non est tale quid. Ergo non est summum bonum. Ad hac speculari etiam possunt mali. Non ergo per speculationem datur frui bono, sed per operationem.

XXV.

Demum neque in divitiis. Hinc cum Piccolomineo statuimus homo civilis divitias rectè partas negligere non debet, quicumque enim

enim eas negligit, filios, consanguineos & amicos negligere dicitur
ac denum instrumenta magnificentiae & liberalitatis parvi pendit,
quod vir civilis facere non debet, interim eas ut summum bonum
non colat neq; appetat.

XXVI.

Haecenus summum bonum quoad suam essentiam vidimus,
sequitur ut jam accidentia summi boni perpendamus. Sunt au-
tem illa vel proprietates essentiales, vel accidentia com-
munia.

XXVII.

Proprietates essentiales sunt affectiones summi bo-
ni, essentia quidem posteriores, cum eo tamen quia re-
ciprocæ, ab illarum cognitione provehimur in ipsius es-
sentiae perceptionem. De quibus singulis aliquid in specie di-
cendum esset, brevitatis tamen studio primarias saltem recensebi-
mus, earumq; naturam vel tribus verbis explicabimus.

XXVIII.

Primam nobis proponit Aristoteles lib. 1. Eth. Nicom. c. 7.
talem: summum bonum debet esse ἀριστότατον καὶ τελειότατον
τῶν πραγμάτων ἀγαθόν. Nam ut ultimum ita terminus est nostri
appetitus, ut perfectissimum, ita nihil eo datur perfectius, quip-
pe si daretur, committeretur ἀντίφασις ἐν προσκείμενῳ. Utrum
verò ita possit esse ἀριστότατον καὶ τελειότατον, ut formæ e-
jus non dentur gradus, in quaestionem venit, ita, ut feli-
citas non recipiat magis, vel minus? Pro decisione hujus
quaestionis notetur discrimen inter summum bonum ἀπλῶς & ab-
solutè consideratum, quod omnium bonorum praestantissimum, &
eo modo negamus posse id recipere magis & minus: & ratione sub-
jecti, virorumq; bonorum, quibus felicitas hæc inest, & eo respectu
magis & minus concedimus.

XXIX.

Secundo summum bonum dicitur quod est ἀνταρκες, est

B 2

enim



enim perfectum & nullā re eget. Distinguitur autem ἀὐτὰρ ἐπεὶ in
ἀπλῶς & κατὰ τι sic dictam : illa soli D E O tribuitur, qui solus
omnis boni bonum & ens perfectissimum, absolutissimum & perpe-
tuum : κατὰ τι sunt reliqua bona omnia extra hoc summum,
adeoq; hoc politicum quoq;, de quo in presentiā tractatur.

XXX.

Tertiam summi boni proprietatem facimus, quod sit οἰκείον
propriū, domesticum, internum, & in optimā hominis
parte situm. Quod enim cum alijs rebus extra hominem com-
mune est, id summum bonum non est, dignitas enim & praestantia
hominis, summi boni οὐκ ὀνείων cum alijs rebus non admittit.

XXXI.

Quarta summi boni affectio illa est, quod sit τιμιόν hono-
rabile magis, quāμ ἐπαίνετόν laudabile : & notandum hic di-
scrimen inter honorem, quod alius sit divinus, alius humanus.
Humanus subdividitur in externum & internum, externus
consistit in levitate fortuna, ac multitudinis, internus in firmitate
virtutis, qui in beato est, atq; ab applausu populi non dependet. Hic
proprie est premium felicitatis, summiq; boni essentialis. Ille non
semper premium felicitatis, ideoq; inter accidentia communia
numeratur.

XXXII.

Quinto summum bonum dicitur μόνιμον δυσμετάπτετον,
ἀναφαιρέτον, quod enim non est stabile & fixum, sed inconstans,
mutabile, auferrig; potest, id summum bonum dici nequit. At in-
fers, potest tamen nonnunquam ex homine felicissimo
fieri miser. Respondeo, aut intelligis mutationem istam de virtute
divinā, aut humanā. Si de illā nullum est dubium : si de hac, aut
intelligis popularem felicitatem, aut propriam magis in
actione virtutis perfectæ, vitāq; perfectā consistentem.
Ea quia vera felicitas non est, sed solummodo fortuna splendor, utiq;
subiecta calamitatibus facile mutatur. Hac verò nunquam ad ex-
tremē

tremè oppositam miseriam mutari potest. Vt igitur in igne nullo frigore expellitur calor, quia naturaliter ejus essentia tenacissime inheret, ita quoque virtus nullo vitio extinguetur in viro bono, cum per crebras actiones in ejus naturam quasi abierit.

XXXIII.

Sexta est, quod sit κατ' αὐτὸ ἀρετόν. Nam quod propter aliud expetitur, absolute bonum non est. Quod absolute bonum non est, summum non est. Quia ergo ex hactenus dictis summum hoc esse bonum patet, sequitur, quod etiam propter se appetatur.

XXXIV.

Septima est quod sit θεῖον, id quod 1. ratione efficientis verum est: à DEO enim hoc bonum. At quicquid à DEO est, id suo modo divinum dici potest. 2. ratione dignitatis: virtutis enim premium est, & finis beatitudo. At virtutis merces omnium consensu est res perfectissima & divina.

XXXV.

Octava & ultima proprietas est, quod sit κοινόν. Tanta enim summi boni est amplitudo ut ad omnes omnino homines pertineat, sese diffundat, & quam plurimis communicet.

XXXVI.

Et haec sunt proprietates summi boni; sequuntur accidentia communia. Sunt autem haec vel immediati ejus effectus, vel bona concomitantia.

XXXVII.

Immediati effectus sunt bona conscientia & hinc orta tranquillitas & lætitia.

XXXVIII.

Bona conscientia est animi tranquillitas, orta ex rectè factis, quâ rebus in quibuslibet tanquam firmâ anchorâ uti possumus, de quibus illis serio triumphare & tripudiare, & quaeque humana alto quasi supercilio despiciere.

XXXIX.

Tranquillitas oritur ex memoriâ rectè factorum seq̃, & suo iudicio contentâ suaviter acquiescit. Ex hac provenit latitia: fieri enim non potest, ut ij, qui in quibusvis imperfectionibus sunt versati & jactati, tandem verò ab his omnibus liberati, latentur.

XL.

Bona tandem concomitantia vel sunt ratione corporis, vel ratione aliorum bonorum externorum.

XLI.

Ratione corporis sunt sanitas, & pulchritudo, quarum illa est cuiusq̃ corporis in suo genere optima constitutio, quæ & beato omninò optanda: hæc est perfectio corporis humani ex congruente ordine, mensurâ & ratione partium consurgens.

XLII.

Ratione bonorum externorum occurrit tum bona fama, tum rerum aliarum sufficientia.

XLIII.

Bona fama est recta aliorum de nobis propter virtutem existimatio; hanc negligere nemo debet, cum fama & vita pari passu ambulent, & fama periculum vitæ comparetur, & ut bona conscientia nobis necessaria, sic fama proximo.

XLIV.

Rerum aliarum sufficientia, imprimis spectatur in opibus, quas homo civilis & rectè institutus negligere non debet. Et hæc magis in utendo, quàm possidendo consistunt. Deinde amicis: illi enim sunt, quibus cum conversatur homo beatus: & his si caret virtutis usus non potest esse adeò magnus, vel potius nullus. Aristot. 8. Eth. c. 3. & Piccolom gr. 7. c. 5. Atq̃ ita difficilissimam hanc utilissimam tamen de summo bono doctrinam perlustravimus: nunc finimus: & ne desit latior disputandi campus, sequentia annectimus.

Знатицата

1.
bus & m
& fund
2.
inter om
3.
probare
4.
tem hab
5.
adhiben
6.
teresse o
7.
litatem
fulere?
8.
9.
obedire

ἑτάματα Politica.

1. *Vtrum Princeps solutus sit legibus? Aff. de legibus civili-
bus & merè positivis, suo modo. Non item de divinis, naturalibus
& fundamentalibus.*

2. *Vtrum Imperator noster precedentiam & praeminentiam
inter omnes Reges & Principes habeat? Affirm.*

3. *Vtrum Imperator antecessoris sui facta ad implere & ap-
probare cogatur? Disting.*

4. *Vtrum Pontifex in Imperatorem dominatum & potesta-
tem habeat? Neg.*

5. *An peregrini ad imperium & magistratum nullo modo sint
adhibendi? Neg.*

6. *An Princeps consultationibus suorum consiliariorum in-
teresse debeat? Affirm.*

7. *An Consiliarius in rebus magni momenti, & publicam uti-
litatem concernentibus, etiam non requisitus, debeat monere & con-
sulere? Affirm.*

8. *Vtrum Christianis bellum gerere liceat? Affirm.*

9. *Vtrum subditi magistratui contra legem DEI praeipienti
obedire debeant? Neg.*


F I N I S.




Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

P I M I S







S

à Po

Inde

nunc

Sp

D

D.

Unà

Eode

MU

NO-

cum C

ac



VI 216

5. + 24. 8h 2:00

23 = 7

39 = t.

ULB Halle 3
 002 385 52X


TA → 2L


vd 18

VD 17

04.2007 Sch,







ΕΥΔΑΙΜΟΝΟΛΟΓΙΑ
Sive
DISSERTATIO ETHICA
de
SVMMO BONO

Quam
D. T. O. M. A.
Pro loco
IN ILLUSTRIS ACADEMIA LIPSI-
ENSI CONSEQUENDO
Ad publicam & placidam disputati-
onem proponit
M. ZACHARIAS HERMANNUS
Vratislaviensis Silesius

Respondente
MELCHIORE EXNERO GRYPHORINO
Silesio Philosophiæ Candidato
5. Decemb. horis ante- & pomeridianis.

Anno M. DC. XXII.

LIPSIÆ,
Excudebat JUSTUS JANSONIUS Danus.

a 19 Aug

162
25

